LEGEM MORALITATIS ACTIONUM HUMANARUM SPECULUM

EVICTURUS

AD

SOLEMNIA

GYMNASII ELBINGENSIS

AESTIVA

D. VIII. SEPTEMBRIS A. C. MDCCLXIII

MORE HORISQUE CONSUETIS

CELEBRANDA

MAGNIFICOS ET AMPLISSIMOS

URBIS

PROCERES

COETEROSQUE

MUSARUM PATRONOS AC FAUTORES

OMNI QUO DECET OBSERVANTIAE CULTU

OFFICIOSE INVITAT

IOANNES LANGIUS

ATH. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE

TYPIS IOANNIS GOTTLIEB NOHRMANNI.

Solemnem nobis legum ſcholaſticarum repetitionem indicaturis, nec a temporis praeſentis ratione, nec ab actus anniverſarii feſtivitate alienum eſſe videtur, legem, certiſſimum ac evidentiſſimum moralitatis actionum humanarum ſpeculum paucis ob oculos ponere. Vt vero in limine ſtatim tabulae noſtrae lectoris erudiatur animus, ſciendum eſt, eam nobis actionum venire conditionem, quae ſolis competit mortalibus, rationis uſu gaudentibus, & quae non actus modo proprie ſic dictos, ſed verba quoque, geſtus, mentisque cogitationes involvit. Quid enim cogitationes? Quid verba, mentis interpretes? Quid geſtus externi aliud ſunt quam effectus, actu ipſo ab anima noſtra prolati? Porro ſc[illegible]dum eſt, nos non de naturalibus ac neceſſariis, quae a cor[illegible]s ſtructura, ejusdemque partium conjunctione dependent, & absqu[illegible] ullo mentis regimine per ſe ac ſponte peraguntur, loqui actionibus, ſed eas, de quibus nobis ſermo eſt, liberas eſſe, & officiorum plerumque nomine venire. Hae etenim moralitatis naturam induere

induere, & ad legem, divinam inprimis, relatae, bonae vel malae, turpes vel honeſtae, juſtae vel injuſtae vocari & declarari ſolent.

Conſtat inter omnes, duplicem Philoſophorum aetatis noſtrae de actionum humanarum, earundemque liberarum moralitate eſſe ſententiam: quippe alii, eam a lege ſolummodo dependere ſtatuunt, alii autem eandem unicuique rei jamjam a natura ita tributam eſſe contendunt, ut quae bona, licetſi eam nulla commendet lex, ſemper bona, & quae mala, quamvis illam nullum prohibeat mandatum, ſemper mala ſit. Nobis vero non animus eſt inquirendi, utrum lex, an ipſa rei natura moralitatis conſtituat principium, a quo actionum humanarum vel bonitas vel vitioſitas derivanda ſit: ſed is ſcopus, ea mentis noſtrae ratio eſt, ut demonſtratum eamus, hominibus in errore vel ignorantia verſantibus, & ad omne perverſitatis judicium proclivibus, legem adinſtar ſpeculi eſſe, ex quo quid faciendum quidve omittendum, quid turpe aut honeſtum, quidque bonum aut malum ſit, facile apparet. Sicuti enim ſpeculum non ipſam format imaginem, ſed perceptam ſaltem repraeſentat & oculis commendat, nihilque ei vel pulchritudinis aufert, vel deformitatis addit: ita legis quoque, praeſertim divinae ea eſt natura, eaque indoles, ut quid bonum, quidve malum ſit, non efficiat, nec actionum moralitatem conſtituat, ſed eam ſaltem indicet cum expreſſo legislatoris mandato, quod in patrandis bonis aeque ac in fugiendis malis omnem adhibere jubet diligentiam.

Id quod ipſa indicat legis definitio, cujus apud omnes, eosdemque probatiſſimos auctores genus eſt, ut ſit decretum, regula

& cynoſura, ſeu ſpeculum agendorum & omittendorum. Non enim legislator, quae per naturam ſuam vitioſitatis macula carent, nunc primum obſervanda & facienda praecipit, ſed in lege lucem tantummodo accendit uberiorem, ad quam tanquam ad lapidem lydium dirigenda & examinanda ſunt omnium cogitata, dicta, facta.

Adhaec multos inter Cel. Puffendorfius fuſius expoſuit, a lege ſtricte ita accepta differre utique conſilium. Sicuti enim illa non niſi ab Imperante & ad clavum Reipublicae ſedente, hoc vero a quovis privato, prudentia praedito, provenire poteſt: ita illa perfectam ſecum fert obligationem, qua hoc deſtituitur. Quodſi itaque lex quaedam ad haec facienda, illave omittenda a Superiore datur, ea ſimul ratione ſpeculum praefertur, ex quo patet, non amplius a noſtra dependere voluntate aut arbitrio, utrum praeſcriptis ac mandatis obtemperare velimus, nec ne. Lex enim jubet, quod conſilium ſuadet, & imperio alicujus ſubjectus illius quoque mandata exequatur, neceſſe eſt. Inde cernitur, quid de illis ſtatuendum ſit, qui in dijudicandis mortalium factis dictisque ingenio in ſe utuntur leniori, in alios contra acriori. Hi enim vitium, in actionibus alterius conſpicuum, utique puniendum ſtatuunt; quod vero, ſi ab ipſismet patratum fuerit, vel multis excuſant modis, vel flocci nihilique habent, ni forte eodem gloriantur in ſe, cum idem illud in aliis reprehendant. Aſt actionum moralitas dum non varia & duplex, ſed una ſaltem eademque eſt, ſequitur, ut, quod vituperatione ac poena dignum deprehenditur in uno, illud in alio excuſari non poſſit, multo minus defendi. Moralitas quippe actionum non a perverſo alicujus judicio dependet, ſed a lege, obligante omnes, ei ſubjectos, a lege, inquam, moralitatis ſpeculo.

Sed

Sed aliae adhuc dantur rationes, ex quibus, quod lex moralitatis ſit ſpeculum, evinci poteſt. Omnibus omnino conſtat, legibus praepoſitam eſſe laudem vel vituperium, praemium vel poenam. Quamvis vero ratio dictitet ſana, maleficum quemvis, vitio patrato, puniri poſſe, debere etiam: attamen ex legis conſideratione tanquam ex ſpeculo demum patet, non cuivis datam eſſe puniendi poteſtatem, ſed eam convenire tantummodo Principi ceu legislatori, aut illis, qui praeſunt cum imperio, quibusque a Superiore vindicandi permiſſa eſt facultas.

Sicuti ergo poenarum irrogatio ad eum ſolummodo pertinet, penes quem publica poteſtas & legum eſt cuſtodia: ita ex eodem quoque cognoſcuntur ſpeculo & poenarum quantitas & qualitas. Ex ratione quidem & lege naturae manifeſtum eſt, poenam, delicto aequalem, a reo expetendam eſſe: genus tamen & quantitatem poenae rite definiri poſſe, plerique negant, qui moralia naturae arcana perſcrutati ſunt, niſi lex a Superiore data, & cum poena tum praemio additis munita, tanquam ſpeculum vocetur in ſubſidium. Haec enim dicit, illum, qui alterius ſanguinem effuderit, non verbis, nec verberibus, ſed ipſa ſanguinis profuſione puniendum eſſe. Haec ſtatuit, quae ob furtum, ob adulterium, aliaque ob facinora commiſſa reo poena ſit irroganda.

Nec evidentiſſima Sacrae Scripturae teſtimonia huc ſpectantia, ſicco praetereunda eſſe pede, arbitror. Quid enim verba gentium Apoſtoli: per legem demum peccatorum venit agnitio, aliud indicant, quam quod lex partibus ſungatur ſpeculi, moralitatem actionum indicantis? Id vero quod in majorem adhuc ponunt lucem ſequentia, quae idem Vir divinitus inſpiratus addit, dum:

peccatum, inquit, non nossem, nisi per legem. Nam cupiditatem nescirem, nisi diceret lex: ne concupiscito.

Sicuti hinc sua cuique actioni constaret moralitas, lege etiam deficiente; & illud, quod omnes bonitatis numeros obit, nullum praeceptum tanquam malum prohibere, nihilque, quod per se vitandum & turpe est, ideo bonum fieri potest, quia per legem injungitur & observandum commendatur: ita lex tantummodo in eligendo bono ac fugiendo malo in tramitem rectitudinis ducit, & ignorantes adinstar oraculi divini docet, instruit, convincit. Imo dum lex specialem quoque addit obligationem, transgressoribus non naturales tantum, sed positivas etiam comminantem poenas, moralitatemque actionum hac ratione ab omni vindicantem dubio & exceptione: facile inde apparet, majorem ac certiorem vitae peragendae illa accendi lucem.

Nonnullos quidem audire videor, affirmantes, homines etjam absque lege, moralitatis speculo, virtuti saepius deditos, pulcherrima quaevis, omnique laude digna fecisse. Provocant hinc, partim ad gentiles, verum DEVM ejusque legem ignorantes, partim ad ipsos atheos, existentiam Entis Aeterni negantes, affirmaturi, hos aeque ac illos, omni destitutos lege, strenuos tamen moralitatis, in actionibus suis adhibitae, exstitisse custodes. Paganis enim, contendunt, in virtutibus exercendis majorem saepius diligentiam, majusque studium fuisse, quam veri DEI cultoribus, ita quidem, ut Aristidis justitia, Solonis prudentia, & aliae aliorum ethnicorum virtutes summis ad coelum usque evehantur laudibus. Imo, atheis virtutum quoque exercitium curae esse, dicunt, non quidem ex praescripto legis divinae, quam negant,

sed

ſed perſpecta ſaltem interna virtutum conditione. Verum enim vero, quod ad bonas paganorum attinet actiones, illas virtutum minime induere naturam, earumque nomen non mereri, jam Patres ſtatuerunt eccleſiaſtici, easdem ſplendida potius vociferantes vitia. Nullus enim ethnicis teſte experientia actionum bonarum eſt concentus, harmonia nulla. Qui enim ex illis in juſtitia forenſi exercenda ſollicitus forſan anxiusque fuit, ipſius ſaepe gloriam, in publico acquiſitam, infamia deſtruxit domeſtica, ipſaque Solonis prudentia, qua inter Athenienſes mirum quantum enotuit, nonnunquam obfuſcata fuit. Quicquid hinc potius, quam virtus & actio bona dicendum eſt, quod vitiorum laeditur confinio. Et quis quaeſo, atheos actiones, vel civiliter bonas, ex moralitatis internae cognitione inſtituere, affirmaret? Siquidem hi in exercendis actionibus non ſanae rationis, ſed utilitatis filo ducti, bona malis praeponunt, non quia bonum per ſe bonum, malum vero per ſe malum eſt, ſed quia bonitatem rei multum commodi ac emolumenti, turpitudinem vero & vitioſitatem detrimenti ac damni ſequitur multum.

Cum itaque ea hominis ſibi relicti ſit conditio, ut Paulo affirmante ne quicquam boni operetur: patet exinde, ipſam humanam imbecillitatem legum arguere neceſſitatem, & haud ultimum alia inter Numinis Altiſſimi, quibus mortales quam clementiſſime mactavit, beneficium eſſe legem, utut moralitatis actionum noſtrarum ſpeculum.

Gratulandum itaque eſt Muſis Elbingenſibus, quod & ipſis non modo paternae conſtent leges, a NVTRITORIBVS AMPLISSIMIS conſilio quaſi divino conceſſae, ſed quod illae quoque in majo-

majorem Civium ſcholaſticorum uſum in anniverſaria earum repetitione publice ac ſolemni ritu iterum ſint praelegendae. Quae feſtivitas quo craſtina DEO ſic volente luce ſplendidior & acceptior inſtituatur: in arenam declamatoriam introducet PRAECLARISSIMVS DOCTISSIMVSque DN. IOANNES DANIEL HOFFMANN, ATHEN. CONR. & P. P. MERITISSIMVS, AMICVS NOSTER MVLTIS NOMINIBVS HONORANDVS, nonnullos Gymnaſii patrii tyrones, *ſpectaculum naturae in agro Elbingenſi ad excitandam pietatem* propoſituros.

Cui juventutis ſcholaſticae luſtrandae & legum praelegendarum ſolemnitati ut ILLVSTRIS, MAGNIFICI, GENEROSI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMIque DNN. BVRGGRABIVS REGIVS, PRAESES, PRAECONSVLES, CONSVLES, PATRIAE PATRES, MAECENATES AC EVERGETAE AETATEM VSQVE DEVENERANDI gratioſiſſime favere, eandemque cum EXCELLENTISSIMIS, PLVR. REVERENDIS, CLARISSIMIS, PRAENOBILIBVS, NOBILIBVS, SPECTABILIBVS, PRAESTANTISSIMIS, HVMANISSIMISque LITTERARVM ET LITTERATORVM FAVTORIBVS AC AMICIS HONORATISSIMIS exoptata ſua cohoneſtare dignentur praeſentia, ſubmiſſe, obſervanter & officioſe rogamus, oramus. P. P. Elbingae. D. VII. Sept. A. O. R. MDCCLXIII.